



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Jesu Christi

Avancini, Niccolò

Coloniae Agrippinae, 1689

Hebdomada XXVIII. Post Pentecost.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59970](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59970)

illis : Cujus est imago hac & superscriptio?
 Cujus es tu imago? Dei. Sed quàm defor-
 mis! Tu eam fecisti imaginem terreni ho-
 minis. Tempus est, ut sicut portasti imaginem
 terreni hominis, ita portes & imaginem cœ-
 lestis. 1 Cor. 15. Reforma te ipsum, donec for-
 metur Christus in te. Gal. 4. & dicere possis:
 Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me
 Christus. Gal. 2.

3. Reddite ergo quæ sunt Cesaris, Cesari;
 & quæ sunt Dei, Deo. Ibid. Cuiq; suum red-
 dendum Dei es, quantus quantus es: cor-
 pus, anima, sensus, potentiæ omnes. Red-
 disne Deo corpus & sensus tuos? uteris eo
 ad suam gloriam, an ad tua commoda? Red-
 dis animam cogitando, amando, ac timen-
 do eum? an affectibus tuis serpis circa crea-
 turas? Vide quot titulis te Deo debes: Crea-
 vit te, redemit te, servavit te, vocavit te, tot
 beneficiis te cumulavit. Redde & proximo,
 quod debes, Charitatem. Est imago ejus,
 cujus tu, ab eodem creatus, eodem sanguine
 redemptus.

DOMIN. XXVIII. POST PENT.

De magno Charitatis mandato.

1. Interrogavit eum unus Legis Doctor: Ma-
 gister, quod est mandatũ magnum; quod
 Deus præ omnibus requirit. Ait illi Iesus:
 Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo.

Hh 2

&c.

&c. Hoc est maximum, & primum mandatum. Matth. 22. Intelligis? *primum*: ergo hinc incipiendum est; *maximum*: ergo hinc terminandum est. Amor rex affectuum est, & primus motor, ergo huc omnes movere debet, & ipse rari, tanquam in suum finem, extra quem nihil est amabile. Habuistine hoc præceptum tanquam *primum* & *maximum*? Nihil unquam Deo prætulisti? O utinam! Sit saltem posthac *primum*, & *maximum* amare Deum. Quod probabis, si omnia ad ipsum dirigas; si nullam cordis partem tribuas amori creaturarum; si audebis cum Apostolo difficultatibus insultare. *Quis nos separabit à charitate?* Rom. 8.

2. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ibid. Regula amandi proximum est quisq; sibi. Nemo se fictè, nemo non sincerè amat. Nemo sibi vult malum, nè minimum quidem: nemo non sibi vult bonum, & inter bona optimum. debes ergo (& hoc mandatum magnum est) amare non fictè proximum; amoliri, quâ potes, ab illo malum, curare bonum. At proximus tuus, non est unus, sed omnes. Non debes ergo affectum ita uni affigere, ut aliis subtrahas.

3. *In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* Ibid. Motivum hic habes diligendi Deum, & proximum. Observatio Le-

gis absolutè tibi est necessaria. Nullam vis transgredi? Ita quidem sperem à cordato homine Ergò dilige: *Qui diligit, legem implevit.* Rom. 13 Huc ergò cogitationes, huc verba & opera dirige, ut tota vita tua sit exercitium dilectionis.

F E R I A II.

Arguuntur Pharisei.

1. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, & Pharisei. Omnia quæ dixerunt vobis servate, & facite.* Matth. 23. Etsi non bonus superior, at bonum imperium; parendum est. Etsi malus doctor, at sana doctrina, servanda est. Sed non insistendum exemplo. *Secundùm opera verò illorum nolite facere.* Nulla ergo est illa tui excusatio: superior ipse, quod fieri jubet, non facit. Ille de se, tu de te rationem reddes. *Dicunt enim, & non faciunt.* Absit hoc à te. Benedicere non est clavis ad cœlum, sed benefacere. Non quid dixeris, quærèris, sed quid egeris. Quàm turpe est docere virtutem verbo, & factò doctrinam suam improbare.

2. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Ibid. Alterum, quod in Phariseis carpit, vitium est, quòd æstimari, & laudari quærant ab hominibus: his si placeant, sibi satisfaciunt: *Amant primos recubi.*

tus, & primas cathedras, & salutationes in foro ac publicam honoris delationem. Hæc si assequantur, in cælo sunt. Non ita tu, qui vis servus Dei esse. Certum est illud Apostoli: Si hominibus placerem, servus Christi non essem Gal. 1 Non potest Deo non displicere, qui nimium studet hominibus placere. Fac te impetrâsse, ut placeas: mercedem recepisti. Ergò in hunc fumum laborâsti?

3 Va vobis Scriba & Pharisei, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ Ib. Tertium hoc est vitium, quo arguitur simulatio sanctitatis. Ubi ficta est virtus, ibi sunt certò vera vitia Nihil prodest, imò plurimum obest apparere, si non subsit esse. Deus non aspicit, quis appareas, sed quis sis. talis apud Deum es, qualis in animo & conscientia. Ab illo pro æternitate judicaberis, non ab hominibus.

F E R I A III.

Prædictio desolationis.

1. *C*um videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto excisi templi Hierosolym. qui legit, intelligat. Matt. 24. Intellige, quòd tu sis templum Dei, quòd immineat tibi desolatio per mortem. Dissol-

vetur

vetur enim templum hoc. Intellige quid agendum antea ne pericliteris. Frustra enim tunc voles, cum non poteris. *Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Es in populo electo: ut tunc securus sis, nunc fuge ad montem, qui Christus est, ut eum imiteris. Qui *in secto* es excellæ virtutis, non descende ad humilia sæcularium. S. Hilar. *Qui in agro Christo plantatus es, non revertere unquam tollere tunnicam veteris conversationis.* Quam tutus tunc eris, si nunc ista agas?

2. *Væ autem prægnantibus in illis diebus* Ibid. Supremus ille dies semper instat: fortè iste est. Væ tibi si usque in illum prægnans es. Plenus bonis desideriis, & non antea ea paris in actum. Quidquid nunc boni concipis, statim pariendum est: quia tunc non erit tempus. *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme.* Provide, ut non superveniat tibi mors, dum friges in obsequio dei *Vel in Sabbatho,* dum ferias agis, & in socordia vivis. Hæc omni tibi hora curanda sunt, quia nulla hora vacat periculo.

3. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* Ibid. Intellige improvidis, & tepidis, qui distulerunt in illud tempus agere, quo amplius non licet. Torquetur luctâ supremâ corpus, sed multo magis conscientia. Vivacius tunc intelliges bonum, & malum. Sarcinam tuam majorem

reperies, quàm unquam existimaveris &c.
Ergò ut tribulationem effugias, nunc age,
quod tunc actum voles: nunc cave; quod
tunc cavisse desiderabis. Mortem de agen-
dis consule, sed & consilium audi.

F E R I A IV.

Vigilandum ad Adventum Domini.

1. *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus ve-
ster venturus sit.* Matth. 24. Prudenter
semper metues, quod certò veniet, nescis
quando. Quid si ante paucos annos venisset
Dominus, qualem te reperisset? Quid si hoc
momento veniret? quid velles fecisse? Quid
si scires post horam venturum, quid ageres?
Quod agendum statueres, illud age, quia
fortè veniet. Ideò occulta est tibi illa hora,
ut omnem habeas suspectam.

1. *Beatus ille servus quem, cum venerit Domi-
nus ejus, invenerit sic facientem.* Ibid. Tanti est
vigilare, ut à solâ vigilantia Dominus pro-
nunciet servum beatum. Vigilanti non irre-
pit fur, qui parta tollat. Non præterit boni
occasio, quam non arripit. Dic ipse; Ubi
Deo attendisti, admisistine vel levissimam
culpam? an uno pravo appetitui cessisti?
nonne omni occasione in bonum usus es? At
nonne

nonne hoc ipsum est esse beatum, ita vivere, ut maculâ careas? *Beatus vir qui inventus est sine maculâ, Eccl. 31.*

3. *Si autem dixerit malus servus ille. Ibid.* Bono ac vigilantî servo malum oppone; qui dicit *in corde suo*: *Moram facit Dominus meus venire*: qui in tepore suo cogitat, adhuc superesse tempus, quo ferventer agat. O miser! *Veniet Dominus illius in die, qua non sperat.* Quis tunc ejus timor? quæ trepidatio? Quid si *percutiat conservos suos*, indulgendo appetitui irascibili? Quid si *manducet & bibat laxando frænum concupiscibili*? Credo, non velles talis deprehendi. Ergò esto paratus. At nunquam eris satis paratus, nisi sis semper paratus.

F E R I A V.

Parabola decem Virginum.

1. *Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Matth 25.* Et hæc parabola ad vigilantiam monet. Omnes fuerunt virgines, omnes acceperunt lampades, omnes exierunt obviam, omnes *moram faciente sponso dormitaverunt.* Et tamen quinque erant *fatuæ, quinque prudentes.* Sed non omnes *sumpserunt oleum secum.* Idè illæ prudentes, quæ

Hb 5

1013-

sumpserunt oleum in vasis suis. Fides lampas est, sed non sufficit. Imprudens est, si non etiam oleum charitatis accipis, & ea media, quæ te coram sponso Deo securum reddant; ne lampas extingatur: *nam fides sine operibus mortua est* Ia cob..

2. *Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit.* Ibid. Venit, cum minimè cogitamus, Dominus *Tunc surrexerunt omnes Virgines, & ornaverunt lampades suas.* Quæ omnium sollicitudo? quia coram sponso comparandum erat. Tunc fatuæ errorem suum viderunt, quod oleum deficeret bonorum operum. Sed serum nimis est tunc velle incipere, cum desinendam est, *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo vestro;* sed frustra, aliena opera tibi non proderunt, ubi *retribuatur unicuique secundum opera sua.* Putas, non doluisse fatuas; solatio plenas fuisse prudentes? In quarum sorte desideras esse, earum sollicitudinem assume.

3. *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias:* Ibid. non quæ primùm ibant ad vendentes, seu quæ differunt se parare. Periculum salutis subit, qui differt media. Præstitisse oportet antea, quæ sunt salutis, non tunc velle. *Novissimè veniunt reliquæ dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.* Sed pulchra verba nihil juvant, ubi pensantur opera. Non prodest tunc verbis profiteri Dominum, quem

quem in vita factis negaveris. Ergo nunc, dum sunt dies salutis, dum tempus acceptabile, insistendum est bono. Adhuc enim porta patet. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos* Hoc fulmen olim time, si nunc Deum non noscas, & secundum quod cognoveris, ei servias.

F E R I A V I.

Parabola de talentis.

Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua [Matth. 25] Etiam hæc parabola præparationem suadet. Dedit uni quinque, alteri duo, tertio unum talentum: *Vnicuique secundum propriam virtutem.* Cogita, quæ accepisti à Deo talenta corporis, animæ, naturæ, gratiæ. Non tua res sunt, sed Dei. Parum tibi vidêris accepisse? Deus ad tuam virtutem mensuravit. De paucis rationem reddes. Plus accepisse tibi damno fuisset. Quo fine tibi data sunt? ut negotieris: *Negotiamini dum venio.* Luc 19 Perit Domino lucrum, quod tu non facis. Non potes ergò aliter uti, quàm Deus velit: & tamen fecisti. Quid faceres servo, qui pecunia tua ad sua commoda & voluptates uteretur? vide an non tu sis talis.

2. *Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit cum eis rationem. Ibid. Eam & tecum inibit: fortè non post multum temporis. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque: similiter, qui duo, alia duo. Lucrum fecerunt ad proportionem talenti. Uterq; vocatur servus bonus, & fidelis. Uterq; invitatur in gaudium Domini sui. Non prævalet ergò apud Deum qui plus accepit: Deus enim usum talentorum, gratiarum spectat, non cumulum. Non fuisset vocatus bonus & fidelis, qui quinque acceperat, si tantùm duo lucratus fuisset. Ita Deus nullam gratiam vult esse vacuum. Ergò assiduè tibi curandum est, ut nullam gratiam in vacuum recipias. Hic verò esto vigilans.*

3. *Qui unum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es: & timens abiit, & abscondit talentum tuum in terra: Ecce habes, quod tuum est. Ibid. Non perdidit talentum, sed servavit. Cur ergò reprehenditur? Serve male, & piger. Quia non est negotiatus, non fecit lucrum, quod Dominus requirebat. Unicum ergò talentum neglectum ita castigat Deus? Quid respondebis, qui tot millia defodisti in terram, gratis tibi ad lucrum cœlestium concessis, ad terrena, ad sensus commoda, abutendo? Ergò nunc tandem ita rebus tuis invigila, ut audire merearis.*

Euge

Luge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

S A B B A T H O.

De extremo Judicio.

1. *C*um venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo tunc sedebit super sedem Majestatis sue. Matth 45. En judicem, illum, quem habuisti hactenus advocatum apud Patrem. Illum, in quem confixerunt peccatores, illum, quem contempsisti. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. En judicandorum multitudinem, in qua tu eris. Et statuet oves à dexteris suis, hædos autem à sinistris. En diversam judicandorum conditionem. Quis in his pavor, & trepidatio? Quod in illis animi solatium, & gaudium? Et qui erunt à dextris? *Oves*: quæ ductum, & vocem Pastoris sunt secutæ Et qui à sinistris? *Hædi*, qui concupiscentiis suis servierunt. O Deus! quantumcunq; vis, pone me hîc à sinistris, ut ibi collocer ad dexteram

2. *Tunc dicet his, qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratû vobis regnû.* Ibid. Prius bonos ad præmium vocat, quam reprobos damnet: quia paratior est semper ad benefaciendum. S. Chryf. in Imperf. Hoc enim secundum naturam agit: pœnas invitus infligit. Quam suavis accedet hæc justis sententia? Desideras & tu illam audire? O-
peri

peribus impetrabis. Hæc allegat Judex: *Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. sine his in vanum speras. Ergo quod potest manus tua, instanter operare. Nec parva negligere: quia nihil est tam parvum, quod vestitum charitate in Deum, ibi non evadat regno æterno dignum.*

3 *Tunc dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite, Ibid. O quale tonitru in auribus reorum! A me. Quale fulmen! Deo in æternum carere. Male est. Qualis dolor, Deo in æternum exosos esse! In ignem æternum! Qualis desperatio, in æternum pœna sensus torqueri! Qui paratus est diabolo à me, à te autem tibi. Qualis cruciatus, æternum cum dæmonibus habitare! Et quæ tam horrendæ sententiæ causa? Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c. Opera non præstitistis, quæ exigebam: egistis, quæ vetabam. O Deus! hic ure, hic seca, modò in æternum parcas. O æternitas! æternitas, quàm amara est memoria tua!*

F I N I S.

AD MAJOREM DEI GLO-
R I A M.

AP.